



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

10. Christus rerum ecclesiaru[m] proprietate[m], & possessione[m] habet, non Praelatus. Bona ecclesiae sunt deputatausibus clericorum, & pauperum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

rum fuerunt exempti Principum privilegio, non tantum, quantum iure divino, quod habet naturalem æquitatem, eum clerici divinis vacantes, laborem Principum compensent, qui administrationi reipublice insudant, S. Thom. *super cap. 13. ad Rom.* & clericorum orationibus summi numinis veniam speramus, gloss. *in l. miles, in verb. facere, ff. de re iudic.* & ibi Rip. n. 7. Quapropter Constantinus, & Constans Imperatores ecclesiasticas personas privilegio immunitatis gaudere voluerunt, sciens magis religionibus, quam officijs, & labore corporis, vel sudore Imperialem reipublicam contineri, *capit. in qualibet, 22. quest. 8.* Quæ tamen dici potius debent agnitio privilegiorum, quæ Deo iure divino habent quam privilegia.

20 Tertiò rerum ecclesiasticarum † proprietatem, & possessionem non prælatus, sed Christus noscitur habere, quia quæcunque homines offerunt, dicuntur esse oblata Deo *cap. nulli liceat, & c. qui abstulerit, 12. quest. 2. cap. videntes, ead. caus. quest. 1.* Innocent. *in cap. cum super, nu. 3.* & ibi Abb. *num. 18. de caus. poss. & propr.* vel penes universalem, vel singularem ecclesiam, quæ nunquam moritur, nec est unquam nulla, *cap. liberti, il. 2. 12. quest. 2. & cap. non surbatur, 24. quest. 1.* Innoc. *in d. cap. cum super, num. 4.* & Abb. *d. num. 18. in fin.* & sunt deputata usibus clericorum, & pauperum, quoad utrum solam, & sustentationem, Innoc. *d. num. 4. in princip.* & Abb. *in d. cap. non minus, num. 6. de immunitat. Eccles.* & propterea regulariter ab omnibus oneribus ordinarijs, & extraordinarijs, datijs, tractis, gabellis, & pedagijs sunt exempti.

21 Tamen de pluribus quæri potest † pri-

mo, cum à pedagijs clerici sint exempti, & de facto aliquis cogat clericum ad persolvendum pedagium violando illius privilegium, & ecclesiasticam immunitatem, quam pœnam incurrat. Et ex decisione Bonifac. VIII. nec collegium, nec Universitas, nec aliqua etiam singularis persona cuiuscumque sit dignitatis, conditionis, aut status, ab ecclesijs, aut personis ecclesiasticis, aut pro rebus ecclesiasticarum personarum, pedagia exigere, vel extorquere per se ipsos, vel per alios, ipsorum nomine, vel etiam alieno, aut eas ad huiusmodi persolvenda compellere possunt. Contrafacientes autem singulares personæ excommunicationis, collegia verò, vel Universitates, civitates, castra, vel loca interdicti sententias ipso facto incurrunt: nec ab excommunicatione huiusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem possunt obtinere, donec exacta plenarie restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter, *cap. quamquam post med. de cens. in 6. & clem. fin. eod. titul.* Dictio enim, ipso facto, est latae sententiæ, quapropter, licet exigentes restituant, & satisficiant, est tamen necessaria absolutio ab excommunicatione, vel interdicti relaxatione *d. c. quamquam in fin.* & ibi gloss. *in d. clem. fin. in verb. donec,* quæ satisfactio fieri debet ad instar excommunicati pro manifesta offensa prius emenda præstita sufficienti, *cap. ex parte in Christo, vers. in secundo verò, de verb. signific. c. solet vers. nisi eum, de senten. excommun. in 6.* & Diaz. *in pract. crimin. c. 57. in annot. vers. si tamen publicari,* quæ debet esse cum expensarum satisfactione, & de stando iudicio cautione præstita, *cap. venerabilibus, §. porro, vers. secus autem, eod. tit. in 6.*

An